

Die 4 februarii

**S. MARIAE DE MATTIAS, VIRGINIS
Fundatricis Sororum ab adoratione Sanguinis Christi**

Memoria

Ant. Ad introitum

Cf. Ps 46,1; 99,2; Lc 1,68

Omnes gentes, pláudite mánibus,
introíte in conspéctu eius in exsultatióne:
Dóminus Deus noster
visitávit et fecit redemptiόνem plebi suae
in Fílio suo Iesu Christo.

Collecta

Pater sancte,
qui miro pietátis consílio,
sanctam Mariam De Mattías praecláris grátiae munéribus decorásti,
ut ságuinis Christi testis in Ecclésia exísteret,
eius intercessióne concéde,
ut Agnum immaculátum pro nobis passum adorémus fidéles
novum et aetérnum foedus grati renovémus,
cunctisque géntibus vim amoris Crucifixi álacres nuntiémus.
Per Dóminum.

Lectiones diei leguntur vel quae hic indicantur

Lectio I Ier 1, 4-9: *Factum est verbum Domini ad me*

Ps. Resp. Ps. 62, 2.3-4.5-6.7-8.9
R. Da nobis, Domine, Verbum tuum cum gaudio nuntiare

Alleluia Dic nobis, Maria, quid vidisti in via?
Sepulcrum Christi viventis
Et gloriam vidi resurgentis.

Evang. Io 20, 1-2.11-18 : *Venit annuntians discipulis: "Vidi Dominum"*.
Prima sabbatorum Maria Magdalene venit mane...

Super oblata

Descéndat, Dómine, Spíritus tui ros super haec múnera,
quae memóriam venerántes sanctae Maríae De Mattías
tibi devóte offérimus,
et concéde nobis ut, divíni Agni ságuine mundáti,
sicut illa, apostólico inflammémur amóre.
Per Christum.

Praefatio de sanctis virginibus et religiosis

Ant. ad communionem

Beáti, qui ad cenam nuptiárum Agni
vocáti sunt!

Ap 19,9

Post communionem

Corpus et sanguis Christi,
quae in memoria sanctae Maríae De Mattías laeti sumpsimus,
sustíneant nos ad caelestem pátriam peregrinántes,
ut vita nostra perénne laudis cánticum
et incessábilis grátiarum áctio exsístat.
Per Christum.

Die 12 Maii

B. MARIAE VIRGINIS MISERICORDIAE MATRIS

Memoria ad libitum

*Ut in Collectione Missarum de B. M. V. n. 39
Lectionario Collectionis Missarum de B. M. V., n. 39 / II*

Die 24 Maii

B. MARIAE VIRGINIS sub titulo “AUXILIUM CHRISTIANORUM”

Patronae secundariae Congregationis

Memoria

Ut in Collectione Missarum de B. M. V. n. 42

Extra tempus paschale, lectio prima: Ct 2, 8-14, ut in Lectionario Collectionis Missarum de B. M. V., p. 13

Die 1 Iulii

**PRETIOSISSIMI SANGUINIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
Tituli Congregationis**

Sollemnitas

Ant. Ad introitum

Redemísti nos, Dómine, in ságuine tuo,
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne.

Cf. Ap 5, 9

Dicitur Glória.

Collecta

Pater, qui pretiósó ságuine Fílii tui Iesu,
quasi Agni in cruce immoláti,
nos redemísti, sanctificásti ac pópulum tuum fecísti,
concéde ut omnes gentes hoc tuae caritátis donum accípiant,
in Spíritus exsultatióne célebrent
atque ab eucharístico cálice,
testaménti ac benedictiónis tuae signo, bibant.
Per Dóminum.

LECTIO PRIMA

Hic est sanguis foederis; quod pepigit Dominus vobiscum.

Léctio libri Exodi

24,3-8

In diebus illis, venit Móyses et narrávit plebi ómnia verba Dómini atque iudícia; respondítque omnis pópulus una voce: «Omnia verba Dómini, quae locútus est, faciémus». Scripsit autem Móyses univérsos sermónes Dómini; et mane consúrgens aedificávit altáre ad radíces montis et duódecim lápides per duódecim tribus Israel. Misítque iúvenes de filiis Israel, et obtulérunt holocáusta; immolaverúntque víctimas pacíficas Dómino vítulos. Tulit ítaque Moyses dimídiam partem ságuinis et misit in cratéras; partem autem resíduam respérsit super altáre. Assuménsque volúmen fôederis legit, audiénte populo, qui dixerunt: «Onmia, quae locútus est Dóminus faciémus et érimus oboediéntes». Ille vero sumptum ságuinem respérsit in pópulum et ait: «Hic est sanguis fôederis, quod pépigit Dóminus vobíscum super cunctis sermonibus his».

Verbum Dómini.

R. Sanguis tuus, Dómine, fons vitae est.

Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu,
bonum mihi non est sine te».
In sanctos qui sunt in terra, ínclitos viros,
omnis volúntas mea in eos. R.

Multiplicántur dolóres eórum
qui post deos aliénos acceleravérunt.
Non effúndam libatiónes eórum de sanguínibus,
neque assúmam nómina eórum in lábiis meis.
Dóminus pars hereditátis meae et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. R.

Funes cecidérunt mihi in praecláris;
ínsuper et heréditas mea speciósa est mihi.
Benedícam Dóminum qui tribuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R.

Propter hoc laetátum est cor meum,
et exsultavérunt praecórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
Quóniam non derelinques ánimam meam in inférno,
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. R.

Notas mihi fácies vias vitae,
plenitúdinem laetítiae cum vultu tuo,
delectatiónes in délixtera tua usque in finem. R.

LECTIO SECUNDA

Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Léctio epístulae beati Pauli Apóstoli ad Ephésios

2, 13-20

Fratres, nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in ságuine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit útraque unum et médium parietem macériae solvit, inimicítiam, in carne sua, legem mandatórum in decretis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hómínem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem interficiens inimicítiam in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem his, qui prope; quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spírítu ad Patrem.

Ergo iam non estis extránei et ádvenae, sed estis concíves sanctórum et domestici Dei, supraedificáti super fundaméntum apostolórum et prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Verbum Dómini.

R. Allelúia.

Hic calix novum testaméntum est in ságuine meo,
qui pro vobis fúnditur.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

22, 14-20

Et cum facta esset hora, discúbuit Iesus et apostoli cum eo. Et aít illis: «Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Dico enim vobis: Non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei». Et accépto cálice, grátias egit et dixit: «Accípite hoc et dividite inter vos. Dico enim vobis: Non bibam ámodo de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat». Et accépto pane, grátias egit et fregit et dedit eis dicens: «Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc fácite in meam commemoratiónem». Simíliter et cálicem, postquam cenavit, dicens: «Hic calix novum testaméntum est in ságuine meo, qui pro vobis funditur».

Verbum Domini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Áccipe, sancte Pater, múnera panis et vini,
cibi potúsque nostri,
quae tibi deférimus,
ut, sanctificata Spíritus tui poténtia,
fiant novi foéderis signum
et nos reddant reconciliatiónis et pacis testes.
Per Christum.

Praefatio

In sanguine Christi novum testamentum dedicavit.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est,
sancte et miséricors Pater,
nos tibi gratias agere teque laudare
per verum Agnum paschalem,
Iesum Christum, Dóminum nostrum.

Ipsa, Sacerdos aeternus,
tibi se obtulit perfectum sacrificium;
et laboribus nostris consociatus
nobis tradidit suum corpus
atque in sanguine suo novum testamentum dedicavit
per crucem, in qua spem lucis nobis effulsit.

Ecclésia tua, Spíritus Sancti ebrietate repléta,
huius caritatis mystérii glóriam contemplatur;
pretiosum Christi sanguinem nobis bibendum tradit
ut nos gaudia faciat delibare sempiterna.

Et ideo, cum Sanctis et Angelis universis,
hymnum glóriae tuae in gaudio canimus,
sociá exsultatione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Ant. Ad communionem

Calix benedictionis, cui benedicimus,
communicatio sanguinis Christi est;
et panis, quem frangimus,
participatio corporis Christi est.

Cf. 1 Cor 10, 16

Post communionem

Hoc novi testamenti memoriale celebrato,
praesta nobis, Pater,
ut qui communicavimus in fractione panis
et de uno calice Filii tui Iesu sanguinis participavimus
operi tuae iustitiae et pacis iugiter sociemur.
Per Christum.

Die 15 septembris

**BEATAE MARIAE VIRGINIS PERDOLENTIS
«NOVI FOEDERIS MULIERIS»**

Memoria

Ant. ad introitum

Salve, sancta Maria
dolorum mater, te veneramur.
Acclamamus te, pretioso Filii tui sanguine
novi foederis mulierem constitutam.

Collecta

Pater sancte,
qui beatam Virginem Perdolentem ,
novi foederis mulierem
Filii tui sacrificio consociari voluisti,
per eius pretiosum sanguinem
concede, quaesumus,
Ecclesiam tuam ex Christi transfixo latere exortam
eodem Matris amore opus redemptionis
iugiter recolere.
Per Dominum.

LECTIO PRIMA

Mater mirabilis... pereuntes filios conspiciens bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat

Lectio libri secúndi Maccabaeórum

7,1.20-29

In diebus illis:

Cóntigit septem fratres una cum matre apprehénsos compélli a rege attingere contra fas carnes porcínas, flagris et nervis cruciátos.

Supra modum autem mater mirábilis et bona memória digna, quae pereúntes septem filios sub unius diéi témpore conspiciens bono ánimo ferébat propter spem, quam in Dóminum habébat. Síngulos illórum hortabátur voce pátria, forti repléta sensu et femíneam cogitatónem masculíno éxcitans ánimo, dicens ad eos: «Néscio quáliter in útero meo apparuístis neque ego spíritum et vitam donávi vobis et singulórum vestrórum compágem non sum ego moduláta; sed enim mundi creátor, qui formávit hómínis nativitétem quique ómniúm invénit originem et spíritum et vitam vobis íterum cum misericórdia reddet, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges eius».

Antíochus autem contémni se arbitrátus, simul et exprobrántem dedígnans vocem, cum adhuc adulescéntior superéset, non solum verbis hortabátur, sed et cum iuraméto affirmábat se dívitem simul et beátum factúrum, translátum a pátriis légibus, et amícum habitúrum et officia ei creditúrum. Sed ad haec cum aduléscens nequáquam inténdere, vocávit rex matrem et suadébat ei, ut adulescénti fiéret suásor in salútem.

Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelium tyrannum sic ait patria voce: «Fili, miserere mei, quae te in útero novem mēnsibus portavi et lac triennio dedi et álui et in aetatem istam perdúxi et nutricem me tibi exhibui. Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram et quae in ipsis sunt, univērsa videns intéllegas quia non ex his, quae erant, fecit illa Deus; et hóminum genus ita fit. Ne timeas carníficem istum, sed dignus frátribus tuis effectus súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípíam».

Verbum Dómini.

PSALMUS REPONSORIUS

Ps 17,2-3. 5-6. 7. 19-20

R. In tribulatióne mea invocávi Dóminum.

Diligam te, Dómine, fortitúdo mea.
Domine, firmaméntum meum et réfugium meum
Et liberátor meus;
Deus meus, adiútor meus, et sperábo in eum;
protéctor meus et cornu salutis meae et suscéptor meus. **R.**

Circumdedérunt me fluctus mortis,
et torrētes Bélial conturbavérunt me;
funes inférni circumdedérunt me,
praeoccupavérunt me láquei mortis. **R.**

In tribulatióne mea invocávi Dóminum,
et ad Deum meum clamávi;
exaudivit de templo suo vocem meam,
et clamor meus in conspéctu eius introívit in aures eius. **R.**

Oppugnavérunt me in die afflictiónis meae,
et factus est Dóminus fulciméntum meum;
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me. **R.**

Ad libitum SEQUENTIA Stabat Mater

Stabat Mater dolorosa
iuxta Crucem lacrimosa,
dum pendebat Fílius.

Cuius animam gementem,
contristatam et dolentem,
pertransivit gladius.

O quam tristes et afflícta
fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!

Quæ mærébat, et dolébat,
Pia Mater, dum vidébat
nati pœnas íncliti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
in tanto supplício?

Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
vidit Iesum in torméntis,
et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem natum
moriéndo desolátum,
dum emísit spirítum.

Eia Mater, fons amóris,
me sentire vim dolóris
fac, ut tecum lúgeam.

Fac, ut árdeat cor meum
in amándo Christum Deum,
ut sibi compláceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
cordi meo válide.

Tui nati vulneráti,
tam dignáti pro me pati,
pœnas mecum dívide.

Fac me tecum pie flére,
Crucifixo condolére,
donec ego víxero.

Iuxta Crucem tecum stare,
et me tibi sociáre
in planctu desídero.

Virgo virginum præclára,
mihi iam non sis amára:
fac me tecum plángere.

Fac, ut portem Christi mortem,
passiónis fac consórtem,
et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
fac me Cruce inebriári
et cruóre Fílii.

Flamnis ne urar succénsus,
per te, Virgo, sim defénsus
in die iudícii.

Christe, cum sit hinc exire,
da per Matrem me veníre
ad palmam victoriæ.

Quando corpus moriétur,
fac ut animæ donétur
paradísi glória.

ALLELUIA

R. Alleuia.
Stabat iuxta crucem Iesu Maria, mater eius,
Filii Redemptoris operi intime sociata.
R. Alleluia.

EVANGELIUM

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius

Lectio sancti Evangelii secundum Ioannem

19, 25-27

In illo tempore: Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cléopae, et Maria Magdaléne.

Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligébat, dicit matri: Mulier, ecce filius tuus». Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua».

Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Verbum Domini.

Super oblata

Suscipe, Pater sancte,
preces et dona plebis tuæ
et intercessionem piæ dolorum Matris
quæ iuxta crucem novi foederis sacrificio
plene adhaesit,
fac ut pura oblatio effecti
tibi nosmet ipsos laetantes offeramus.
Per Christum.

Praefatio de beata Maria Virgine

Ant. ad Communionem

Beata es, Virgo Mater:
Filius tuus Christus Iesus, Agnus immaculatus,
Ecclesiae sponsae panem et vinum
novi nuptiarum convivii praeparavit.

Post Communionem

Domine, Deus noster,
qui in memoria Virginis Perdolentis Mulieris novi foederis
corpore et sanguine Christi tui nos satiasti,
fac ut, intercedente Matre,
amorem et dolorem Filii
quos in mysterio celebramus
vita exprimamus impense.
Per Christum.

Die 21 Octobris

SANCTI GASPARIS DEL BUFALO, presbyteri

Fundatoris Congregationis

Solemnitas

Ant. ad introitum

Ps 15, 5-6

Dóminus pars hereditátis meae et cálicis mei; tu es qui restítues hereditátem meam mihi.
Funes cecidérunt mihi in praecláris; étenim heréditas mea praeclara est mihi.

Dicitur Glória.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
qui nobis dedisti sanctum Gásparem del Bufalo, presbyterum,
pretiósí Sanguinis Christi studiósium missionárium,
flagrántem testem dilectiónis tuae divinitátis et próximi,
ipso intercedénte, exáudi Sanguinis Fílii tui vocem
in dies e terra ascendéntem
una cum male afféctae humanitátis clamóre.
Per Dóminum.

LECTIO PRIMA

Et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.

Léctio libri Isaíae prophétae

Is 52, 7-10

Quam pulchri super montes
Pedes annuntiántis, praedicántis pacem,
annuntiántis bonum, praedicántis salútem,
dicéntis Sion: «Regnávit Deus tuus».
Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem,
simul exsultábunt,
quia óculo ad óculum vidébunt,
cum redierit Dóminus ad Sion.
Gaudéte et exsultáte simul,
desérta Ierúsalem,
quia consolátus est Dóminus pópulum suum,
redémit Ierúsalem.
Nudávit Dóminus brachium sanctum suum
in óculis ómnium géntium;
et vidébunt omnes fines terrae salutáre Dei nostri.

Verbum Dómini.

R. Salus tua, Dómine, pro ómnibus géntibus.

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius,
annuntiáte de die in diem salutáre eius.
Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. R.

Afférte Dómino, famíliae populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
afférte Dómino glóriam nóminis eius. R.

Dícite in géntibus: «Dóminus regnávít!».
Etenim corréxit orbem terrae, qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in aequitáte. R.

LECTIO SECUNDA

Hebr 13, 12-15.20-21

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, aptet vos in omni bono.

Léctio epístulae ad Hebráeos

Propter quod, fratres, et Iesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes; non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini eius.

Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis pastórem magnum óvium in ságuine testaménti aetérni, Dóminum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono, ut faciátis voluntátem eius, fáciens in nobis, quod pláceat coram se per Iesum Christum, cui glória in sáecula saeculórum. Amen.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Lc 4,18

R. Allelúia.

Dóminus misit me
evangelizáre paupéribus,
praedicáre captívis remissionem.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lc 4, 16-21

In illo t mpore venit Iesus N zareth, ubi erat nutritus, et intravit sec ndum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surr xit legere. Et traditus est illi liber proph tae Isaiae; et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat:

«Sp ritus D mini super me;
propter quod unxit me
evangelizare pauperibus,
misit me praedicare captivis remissionem et caecis visum,
dimittere confractos in remissione,
praedicare annum D mini acceptum».

Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit; et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

Coepit autem dicere ad illos: «Hodie impl ta est haec Scriptura in auribus vestris».

Verbum D mini.

Dicitur Credo

Super oblata

Panis ac vinum quae tibi, sancte Pater, def rimus,
festum sancti G sparis celebrantes,
signum oblationis ac devotionis nostrae
ad tui et proximi servitium  xprimant.
Per Christum.

Praefatio

De sancti Gasparis del Bufalo missione.

V. D minus vobiscum.

R. Et cum sp ritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad D minum.

V. Gr tias agamus D mino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salut re,
nos tibi semper et ubique gr tias  gere:
D mine, sancte Pater, omnipotens aet rne Deus:
per Christum, D minum nostrum.

Quia tribuis nos sancti G sparis festivit te gaudere
Ecclesiae tuae fidelis presb teri,
qui pro ea adversa tolerare non dubitavit;
Beata Maria Virgine adiuvante,
Evangelium impiger praedicavit;
Sanguini D mini assiduus ministravit,
et, Christi imitator, pauperum ac oppressorum
frater, amicus ac defensor fuit.

Et ideo, cum Sanctis et Angelis univ rsis,
te collaudamus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sábaoth.
Pleni sunt caeli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Ant. Ad communionem

Cf. Io 15,13

Maiórem dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis, dicit Dóminus.

Post communionem

Deus Pater aetérne,
qui nos Pane vitae et Cálice salútis satiásti,
concéde, sancto Gáspare intercedénte,
ut mystérium cui fide participávimus
vita nostra iúgiter teneámus.
Per Christum.

Die 3 Decembris

**SANCTI FRANCISCI XAVIER, presbyteri
Patroni Congregationis**

Festum

Ut in Missale Romanum